

1465 misso, inde abierint. Ipse quoque, quum videret se ibi secundo parum omnino proficere, combusto oppido, Neapolim copias reduxit. Lauretanus dum Sparta obsidione premebatur, ipse interim Rhodum adortus, multiplici clade eam, direptis villis, atque inde incensis, affecit. Vis insulanis ideo illata, quia Rhodienses aliquanto antea Syriae negotiatores cum suis mercibus ex Venetorum navibus quæ in portu erant, vi extraxissent; nec Veneto, repetitis rebus, aliquo modo satisfacere curarant. Ex Rhodo classis in Eubœam rediit, inde Ægei maris insulas sine expeditione ulla memorabili in reliquum anni circumacta est. Hujus expeditionem illam fuisse constat, qua classis ad Hellesponti fauces admota dicitur, consilio, ut remorum agilitate Dardanulis superatis, in Calipolitanam oram impetum ficeret. Sunt ea castella duo ad Hellesponti aditum sibi ex adverso respondentia. Hinc inde vis tormentorum ingens locata est, ad concutiendas prætereuntium naves. Post eversum Byzantii imperium, Mahomethus eorum alterum vetustate collapsum instauravit, erexitque a fundamentis recens alterum, ut perpetua ibi statione Europeos omnes ab Hellesponto cursu averteret. Quum igitur classis, ut dixi, eo venisset, ita sene accidit, ut Veneria triremis, quæ alias (ut sit) præsidii causa præcesserat, decepta, ut dicitur, signo prætoriæ triremis, quando apparuit sibi datum ad cursum per medios hostes tenendum, velo & remis innixa, per crebros machinarum iactus angustias evaserit. Alii primas ejus periculi partes ultro sibi Venerium depoposcisse tradunt, atque in primam illam non omnem ab hoste vim effusam, sed barbaros intentos ad reliquam classem concutiendam, quæ jam instabat, noluisse omnem tormentorum multitudinem in unam emittere: atque ob id factum, ut cum prima illa pluribus iactibus perfossa, ac non paucis e turma fœde laniatis, in apertum discrimen adducta esset, tota classis periculo deterrita, una interclusa, cursum averterit. Pro amissis habebantur, qui cunque in ea erant. Jacobus Venerius, qui etsi Veneti sinus præfectus erat, publica tamen signa Lauretani auspiciis

Veneria tri-  
remis Dar-  
danulos præ-  
tervecta in-  
columis no-  
nus ad suos  
redit.